

evolvat magisque pateat ratio, cur Vicarii generalis praelatio adeoque et Episcoporum titularium in actibus jurisdictionalibus capituli et in sacrarum functionum exercitio admittenda non sit, praestat laudati mox Cardinalis De Luca auctoritatem afferre qui loc. cit. de praeem. disc. XLI., n. 14.

„Idem comprobatur clarius ob generalem praxim et observantiam universae Ecclesiae catholicae pluries canonizatam aut demandatam per istam sacram Congregationem (Rituum) occasione Vicarii generalis Episcopi, quoniam, licet ille juxta magistrale cons. 21. Abbat., quod S. Congregatio sequitur, occupet primum locum in choro etiam supra primam dignitatem juxta plures declarationes relatas a Barbosa in summ. apost. decis. collect. 714., Gratian. discept. 111. cum aliis deductis in hoc tit. de praeem. disc. 18., attamen non exinde Vicarius etiam Episcopo concedente ac demandante praetendere potest ut sibi competant functiones episcopales, qui faciat in capitulo primam figuram non quidem accidentalem, sed fixam, ut in Leodien. Abbatissatus 3. Junii 1643 coram Ghislerio, ut advertitur tit. de praemin. disc. 17., num. 7. Atque docet notaria praxis generalis et per consequens non bene a loco digniori in choro inferri potest ad hujusmodi functiones vel actus capitulares.“

Jam vero haec omnia simul complectentes veritas nostrae sententiae elucet non modo, quia dum praecedentia asseritur Episcopo titulari supra reliquas Dignitates, non adstruitur praelatio in jure peragendarum functionum, quinimo contrarium apparet ex analago contextu tam petitionum seu dubiorum quam responsionum, ut supra vidimus, sed etiam quia in iis, quae attulimus de Vicario generali, ea praelatio positive excluditur. Unde

concludere jure possumus, totam praecedentiam, quae Episcopis titularibus defertur, consistere in occupatione primi loci tam sedendo quam procedendo in omnibus locis, ubi Capitulum convenit, et in omnibus functionibus capitularibus; minime vero in actibus jurisdictionalibus, neque in jure succedendi Episcopo absentem vel impedito in sacris functionibus celebrandis, quod suapte natura devolvitur ad primam Capituli dignitatem.

Si quis autem hujus rei rationem nosse desideret, eam facile inveniat, si parumper consideret, functiones pontificales, quae ex decreto S. C. in una Andrien. 3. Decembris 1672, absente vel impedito Episcopo ad primam dignitatem, sub hoc respectu ad eam pertinere, quia absentem vel aliquamquamque de causa impedito Episcopo de jure et directe succedit Capitulum seu, quod idem est, jus illud Episcopi, (qui simul cum Capitulo Ecclesiam cathedralem tamquam unum corpus constituit) devolvitur ad universum corpus Capituli, quod cum non possit per se et complexive explicare actus, qui sunt individuales, ejus loco et nomine ii actus exercentur ab eo, qui in eo corpore est primus ratione capitulari vel hoc impedito successive ab aliis.

Theoriam hanc perbelle evolvit idem Cardinalis de Luca loc. cit. num. 15.: „Habet id, inquit, claram rationem pluries insinuatam d. tit. de praeem. episc. 19. n. 11. et disc. 20. n. 12. et alibi pluries, quod scilicet istae functiones vel actus non fiunt ab illa persona ex jure singulari vel ex persona propria, sed habitualiter fieri dicuntur ab universo corpore Capituli vel Collegii vel ab omnibus Capitularibus et Collegialibus, quorum vice ac nomine illi actus individui, quos impossibile est explicari ab ipso corpore,

sed pernecesse explicari debent ab una persona in solo actu vel exercitio, explicantur per illum, qui in eo corpore est primus ratione qualitatis capitularis vel collegialis, non autem ob aliam extrinsecam et accidentalem qualitatem.“ Optime ad rem nostrum argumentum hoc auctoritate sua confirmat Andreucci de Vicariis basilicarum urbis §. V. n. 48. his verbis: Functiones istae solemniores si non fiant ab Episcopo pertinent privative ad Capitulum et sunt exercendae ab eo, qui principatum habet in Capitulo ratione qualitatis capitularis, non autem ob aliam extrinsecam et accidentalem qualitatem.“ Cum itaque Episcopus auxiliaris (liceat mihi conclusionem auctoris praestantissimi pro Vicario generali ad Episcopum auxiliarem applicare) „non habeat primatum in Capitulo, propterea ad ipsum non spectant tales functiones pro casu, quo ab Episcopo non fiant.“

Quod simplici quidem sed concinna similitudine Emmus auctor illustrat, quam a consuetudine et praxi pene quotidiana desumit: „Habemus, inquit generaliter in omnibus iis materiis et praesertim in praecipuis competentibus ratione jurispatronatus vel ratione domini alicujus castri pertinentibus ad omnes de aliqua familia vel de aliquo genere, quoniam retinere claves castri, recipere primam candelam vel primam palmam aliaque similes praecipuae exercibiles per unum tantum, pertinet ad natu majorem sive ad eum, qui habet in familia primatum ratione aetatis vel primogeniturae, non curato, quod alii de corpore familiae vel de genere habent majorem accidentales dignitates, quoniam attenditur primatus fixus et proprius ex sola ratione familiae, cui haec jura competunt.“

Haec fusius fortasse tractavimus

quam poscere videretur necessitas, quod ideo praestitimus, ut et clarius luce pateret, quod decretis et declarationibus S. haec Congregatio mentem suam constanter aperuit et quot quantisque rationibus ex intrinseca rei natura petitis sententia nostra fulciatur. Certe si uno vel altero exemplo definienda res erat, non aliud quidem eligendum fuerat, quam quod nobis exhibet Neapolitana praecipue *pro primicerio Ecclesiae Metropolitanae cum canonico Episcopo titulari*. Haec quippe et valde consimilis est hodiernae quaestioni, et, cum pluribus repetitis instantiis pluribusque declarationibus absoluta fuerit, occasionem habuit priora decreta, quae in eo casu edidit, apertius declarandi et mentem suam aperiendi sequentibus aliis in eadem causa decretis, quid senserit in prioribus illis locutionibus, ut ita dicam, communibus, quas ipsa pro se oblata occasione interpretatur. Hoc itaque exemplum postremo loco afferemus, ut seriem demonstrationis ex decretis petita veluti sigillo obsignemus simulque occasio nobis pareatur demonstrandi quod promisimus, nempe quam falso asserant contrariae sententiae Patroni, Episcopos titulares praelationem illam jurisdictionalem a *praedicta S. Congregatione declarari*, non postulasse.

Evecto altero ex Canonicis Metropolitanae Neapolitanae ad dignitatem episcopalem cum titulo in partibus infidelium et cum retentione canonicatus orta est statim et vehementer exarsit quaestio de praecedentia, quam sibi deberi etiam supra primicerium, qui est dignitas Capituli, Episcopus titularis defendebat et S. C. respondit die 3. Decembris 1672: Quod eisdem praerogativis gaudere debet Canonicus „Neapolitanus Episcopus titularis, quibus Canonici, qui sunt canonici Episcopi tam in basilica s. Petri, quam in

basilicis de urbe, qui praesunt caeteris Canonicis et jam antiquioribus et fruuntur quavis majori praeeminentia non solum in choro recipiendo primas antiphonas, sed in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contigit. Obstitit Canonicus primicerius huic declarationi et opposuit sibi competere praefatas praerogativas et praeeminentias supra dictum canonicum Episcopum titul. et S. C., utraque parte informante, respondit die 6. Maii 1673: „Complere praenotatas praerogativas et praeeminentiam dicto canonico Episcopo titulari in omnibus actibus, ubicumque convenire contigerit etiam supra praefatum primicerium ejusdem Cathedralis.“

Profecto ex simplici inspectione seu lectione horum decretorum, in quibus habemus collectas omnes ferme locutiones et phrases, quae in aliis decretis supra allatis sparsim continentur, quis non deduceret cujuscumque generis praelationem non solum honoris et obsequii, sed etiam praelationis in functionibus peragendis aliisque actibus jurisdictionalibus exercendis? Conceditur enim ipsi Episcopo titulari „ut praesit omnibus Canonicis etiam antiquioribus, ut fruatur quavis majori praeeminentia in choro, in Capitulo et quovis alio loco, ubi convenire contigerit, in omnibus actibus etiam supra praefatum primicerium etc.“ Quis, inquam, has expressiones non extenderet ad sensum contrariae sententiae, quemadmodum oppositores alias reapse praestiterunt? Nos autem expressiones hujusmodi ad solam praecedentiam honoris et obsequii restrinximus excludendo quamcumque praelationem in missis solemnioribus canlandis sacrisque functionibus peragendis loco Episcopi absentis vel impediti. Hanc autem semper fuisse S. C. mentem satis ostendimus et dissertissimis verbis Sacra ipsa Congregatio, quid per duo priora decreta modo exposita senserit,

in hac causa declarat, enixe postulantes tam canonico Episcopo titulari quam canonico primicerio.

Et sane utraque pars una cum Capitulo sex dubia concordavit, ex quorum solutionibus apertissime declaratur mens S. hujus Congregationis die 12. Augusti 1673, ex quibus eas seligemus quae ad rem nostram pertinent.

1. Episcopo canonico titulari praedicto sedenti super omnes etiam supra primicerium non debetur aliqua thurificatio differentialis dignior illa, quae praestatur primicerio et aliis dignitatibus et Canonicis, sed venit thurificandus sicut ipsemet primicerius et caeteri Canonici thurificantur, nempe pari ictu thuribuli.“

2. „Ad dictum Episcopum per praeeminentiam in sedendo non spectat peragere functiones proprias primicerii, quas (ipse primicerius) prius agebat ut primus in choro, sed hoc munus explendi spectat ad eundem primicerium.“

3. Per praeeminentiam in sedendo debitam eidem Episcopo non est praedictatum primicerio in recipiendo vota Canoniceorum capitulariter congregatorum, quoad capitulares resolutiones, jura convocandi et similia quae pertinent ad primicerium.“

4. Cum Capitulum congregatur in peragendis capitularibus negotiis, sedentibus Dignitatibus et Canonicis in suis stallis, expleta propositione, elevantur quatuor de Capitulo, capita ordinum nuncupata, quorum primus est primicerius, et secretarius capituli elevatur, consistunt in medio cum sedibus coramine coopertis, primicerius legit vota, secretarius scribit. Et praetendente dicto canonico Episcopo titulari, ut supra, intervenire et sedere in prima sede ex illis positus in medio, idem

Episcopus canonicus hoc facere non potest, neque debet.“

Et quamquam, instantibus iterum partibus competentibus et Capitulo die 3. Martii 1674 dilata fuerit resolutio et suspensae ipsae resolutiones praedictae diei 12. Augusti 1673 usque ad meliorem resolutionem, tamen proposita iterum causa diei 14. Aprilis 1674 exposita tota serie decretorum, instante Capitulo pro reformatione et renovatione respective praedictorum sex dubiorum et primicerio viceversa non esse recedendum a praedictis resolutionibus ad ejus favorem captis, S. C. utraque parte bene informante respondit: „In decisio sine praejudicio litis pendens in Rota quoad articulum primae dignitatis et quoad 5: praedictum Canonicum titulare non lucrari distributiones nisi assistat in stallo canonicali“ quae verba postrema ad nos non pertinent. Sed priora quae respiciunt articulos supra recensitos, qui quaestionem nostram praecise attingunt, ostendunt, quam constanter S. C. in sua sententia praestiterit, licet novas preces admiserit, novas informationes exceperit, imo et effectum praecedentis resolutionis suspenderit usque ad meliorem resolutionem.

Tandem non acquiescente Episcopo titulari resolutioni in 3. dubio factae (12. Aug. 1673) et instante iterum ac supplicante declarari ad ipsum sedentem in primo stallo spectare recipere primas antiphonas (quod jam concessum fuerat in primo decreto 3. Dec. 1672) et invocare Sp. S. in Capitulo, non autem ad primicerium, S. C. utraque parte informante censuit: *Spectare ad Episcopum praefatum in casu, de quo agitur.*

Sed unum tantum dubium superest diluendum, si quis ex adducto exemplo basilicarum urbis existimare velit aliquam Episcopis titularibus competere

praelationem in peragendis functionibus, eo quod in laudatis patriarchalibus Missae, Vesperae aliaeque solemniores functiones, quae celebrari debent ab Emmo D. Card. Archipresbytero, quando hic impeditus est, celebrari ab altero ex Canonicis, qui episcopali dignitate praeditus sit. Siquidem ex hac consuetudine, quae viget in basilicis urbis, nihil inferri potest in exemplum ad Episcopos titulares canonicos aliarum Ecclesiarum. Non modo quia cujus illationis effectus ex mente S. C. positive excluditur (Neapolitana 12. Aug. 1673 ad 3.), sed etiam quia usus hic in basilicis urbis non provenit ex aliquo jure vel praelatione jurisdictionis, sed est praxis quaedam singularis a remotissimis temporibus inducta et ita propria basilicarum urbis functiones istas pontificali ritu peragendi, ut ad hunc effectum semper in gremio Capituli existant plures Canonici vel ad tempus saltem unus, qui episcopali Dignitate cum titulo in partibus sint praediti, et quando deficient, soleant Romani Pontifices, instante suppliciter de more capituli, alium Episcopum titulare seu plures in canonicatu subsistere aut alium, qui sit de gremio, seu plures in Episcopum titulare promovere. Imo si nullus fortasse hic nunc existat vel sit absens aut impeditus, ipse Emmus Card. Archipresbyter vel Capitulum ipsum ad solemniores ipsas functiones ritu pontificali celebrandas solent alterum quemcumque Episcopum rogare licet non sit de gremio Capituli. Porro haec praxis seu consuetudo vere singularis non debet suos limites excedere neque privilegium in alio loco velut de jure diffundere, ut inde argumentum a simili deduci possit. Neque hic est praetereundus Vicarius basilicarum urbis, ad quem Andreucci loc. cit. spectare contendit „exercere omnes illas functiones solemniores

sive pontificales sive mere sacerdotales, si fuerit in ordine episcopali aut sacerdotali respective, quas de jure potest aut debet exercere Archipresbyter.“

Jam vero apparet in hac una causa collectum haberi quiddam ferme antea adductum est, sed lucidius declarari. Ex hac enim eruitur Episcopis titularibus canonicatum retinentibus deberi quaevis major praeeminentia in choro, in processionibus, in Capitulo et in quovis alio loco convenire contigerit, veluti Canonice patriarchalium urbis, qui sint Episcopi, et hanc ipsis competere in singulis actibus capitularibus, sed restringi mere in assistendo quibusvis illis actibus, minime vero extendi ad praelationem in illis functionibus peragendis sacrisque officii solemnioribus celebrandis; hujus praelationis declarationem fuisse ab *Episcopo titulari* positive *postulatam*, sed a S. C. positive *denegatam* et primicerio atque aliis succesive dignitatis de jure attributam.

Cum itaque ex ipsa S. Congregationis declaratione peragere functiones loco Episcopi ordinarii ad illum Canonicum de jure spectet, qui primus sit in choro, jam nemo dubitare potest, quin hoc potiori jure pertineat ad Archipresbyterum Metropolitanae Mediolanensis, qui est in capitulo prima dignitas; *potiori*, inquam, *jure*, quia id ei tribuunt non modo regulae generales, sed ipsae peculiare Ecclesiae Mediolanensis constitutiones.

Hactenus de Canonico, qui sit Episcopus tantum titularis. At quoniam tam in voto Capituli metropolitani quam in deductionibus magistri Caeremoniarum magis urgetur qualitas *Episcopi auxiliaris*, operae pretium est, ut de hoc qualitate postremo loco disseramus, ostendentes ejus praeeminentiae limites, quos in Episcopis ti-

titularibus et Vicariis generalibus observavimus, non latius extendi in Episcopis auxiliaribus adeoque etiam in ipsis restringi solum in praecedentia honoris assistendo sacris capituli functionibus, neque ex hac qualitate aliquid jurisdictionis superaddi pro iisdem functionibus peragendis, ut ab initio proposuimus. Itaque redactores voti capituli ut ex hoc capite jus ei vindicent succedendi Archiepiscopo impedito in exercitio sacrarum capituli functionum in praedictum aliarum dignitatum, ita argumentantur: „Denique si Episcopus auxiliaris datus fuit Archiepiscopo Bartholomaeo Romili, ut eidem praesto esset in muniis quibuscumque pastoralibus obeundis, si ad Archiepiscopum spectat missae sacrum solemniter facere aliaque divina officia celebrare diebus vel in tabella descriptis vel praxi determinatis, quisnam impedito de jure succedat oportet? procul dubio Episcopus auxiliaris, qui et e gremio capituli est et caeteros sua dignitate longe multumque antecellit.“

Argumentum eo recidit ac si dicatur, Episcopum auxiliarem, cum destinatus sit ad obeundas ex officio loco Archiepiscopi functiones, quae sunt episcopales, rite ex ipso officio suo designari ad celebrandas missas et peragendas functiones, quae, cum ab Archiepiscopo celebrari et peragi debeant, *missae et functiones episcopales appellari possunt*.

Non leve quidem prima fronte videtur hujus argumenti robur, sed re bene perspecta ejus fallacia facili negotio deprehenditur. Ac primo, pace dixerim redactorum illius voti, vox illa *quibuscumque* in literis apostolicis, quibus Episcopus primo Danaben. deinde Famaugustam. in auxiliarem Archiepiscopi Mediolanensis deputatur et unde locus desumptus esse videtur,

non invenitur sed habetur: *aliisque muniis*, quod certe minus patet et addita clausula „ita tamen, ut nisi de ipsius licentia et consensu quidquam agere nequeas.“ Sed hoc diligentiae potius quam argumentationis vitium est.

Ad delegendum vero argumentationis defectum duo sunt obeunda; *primo*: quod, generatim loquendo, vigore literarum apostolicarum Episcopus auxiliaris *non succedit* quasi aliquo *jure* nativo Archiepiscopo impedito, ut inadaequate dicitur in voto per illa verba: *quisnam eidem impedito de jure succedat, oportet?* Quod quidem tantum abest ut in omnimoda facultate Archiepiscopi sit Episcopum auxiliarem delegare an non, ut in muniis, quae designantur, vices suas expleat, hoc enim important verba illa: nisi de ipsius licentia et consensu quidquam agere nequeas“, et totus contextus; *secundo*: quod recte determinandae sunt episcopales functiones seu pastorales, quae ad Archiepiscopum exclusive perinent et ad quas ipsi libere et independenter a quacumque alia auctoritate *licentiam et consensum* praebere potest Episcopo auxiliari ut suas vices gerat suamque personam repraesentet. Atqui hae certae non sunt missae solennes sacraeque functiones capitulares, in quibus Archiepiscopo impedito capitulum de jure succedit, capitulum eas peragit per suas individuales dignitates et Canonicos, iis tantum functionibus exceptis, quae characterem episcopalem necessario requirunt.

Et sane Ecclesia Cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo et capitulo atque adeo conjuncta invicem est eorum jurisdictio, ut, cessante Episcopo omnis haec jurisdictio nativo quodam ac proprio jure ad ipsum capitulum illico transferatur, quin aliquo mandato aut delegatione opus sit.

Jam vero Episcopum inter et capitulum tanta est jurisdictionis conjunctio: ergo non est, cur impedito vel nolente Episcopo ad functiones capituli peragendas persona extranea in Capitulo immittatur, qualis profecto esset Episcopus titularis, inspecta in se hac qualitate, sed sponte sua prima dignitas capituli de jure succedit et huic altera ordine progressivo. Hoc quod generale est magis valet in metropolitana Ecclesia Mediolanensi, in qua per constitutiones a s. Carolo Borromaeo propositas et approbatas et diutissima annorum serie vigentes adamusim cavetur, cuinam spectet missas solemniores cantare et sacras functiones peragere, quando Archiepiscopus aliqua ratione impeditur: nempe succedere debet prima dignitas et huic pariter impeditae altera succedit et sic porro prout constitutiones praecipunt, quarum verba in exponendo quaestionis statu supra allegavimus. Ergo in casu nostro si Archiepiscopus a peragendis functionibus aliqua causa impediatur, neque Episcopus auxiliaris vi hujus qualitatibus aut aliquo jure succedit: neque ipsi Archiepiscopo liberum est consensum aut licentiam auxiliari suo praestare, ut sibi in capitularibus actibus succedat suasque vices in praedictum capitulum exequatur.

Haec quae ex naturali capitulorum seu Ecclesiae Cathedralis intrinseco jure libavimus satis demonstrant nullam extraneam personam, quaecumque ea sit et quavis dignitate praeefulgens, immitti posse in praedictum jurium capitularibus competentium, ut peragat solemniores in choro functiones quando ordinarius impeditur. Ad pleniorum vero sententiae nostrae demonstrationem examinandum est, num ex parte jurium Episcopi auxiliaris aliqua ei insit jurisdictio, ut voti redactores asserunt, Archiepiscopo impedito succe-

dere. Et hoc est, quod ex hac etiam parte vehementer negamus.

Ut hoc demonstramus, investigandum sedulo est, quid proprie veniat nomine et qualitate Episcopi auxiliaris, quaenam sint illius attributiones et munera, et ad quem finem et quibus accedentibus conditionibus ab Apostolica Sede concedatur. Quae quidem omnia non aliunde arbitror melius intelligi posse quam ex doctrina immortalis Pontificis Benedicti XIV. Is sermonem instituens de Episcopi suffraganei deputatione plenissimam, more suo, in hoc argumento spartam adornat de Synodo dioecesana lib. III. cap. XIV. triplicemque enumerat suffraganeorum classem:

„Suffraganeus, primo inquit n. IV., juxta strictiorem nominis significationem est ille Episcopus qui Archiepiscopo sive metropolitano subjectus est eamque vocem nonnulli derivatam putant a suffragio sive voto quod Episcopus Archiepiscopo sive metropolitano subjectus in hujus electione ferebat. Ita Macri etc.“

Deinde subjungit:

„At suffraganeus et ille dicitur Episcopus, qui alterius dioecesim administrat, in eaque praestat quae ordinis sunt et jurisdictionis. Deque hujusmodi suffraganeis loquitur Lateranense Concilium sub Leone X. celebratum, cum agit de Cathedralibus Ecclesiis, quae S. R. E. Cardinalibus commendatae reperiuntur etc.“

Sed quod quaestionem nostram directe attingit, est quod tertio loco addit:

„Suffraganeus denique, juxta vigentem hisce temporibus loquendi modum dicitur etiam ille Episcopus titularis, qui ea dumtaxat, quae sunt ordinis, exercet in aliqua dioecesi, in qua Episcopus non residet, vel si resideat nequit ob dioecesis amplitudinem ordinationes habere, confirmationis sacra-

mentum administrare aliaque episcopalis ordinis munera peragere.“

Quod strictius etiam determinat *ib.* n. 9. dum enumerans quatuor conditiones, quae requiruntur ad Episcopum suffraganeum seu titularem legitime a Summo Pontifice impetrandum, id quoque necessarium esse declarat, obsecrandum scilicet Pontificem, ut designato sacerdoti titulum conferat episcopalis Ecclesiae, „in partibus constitutae quo valeat ea praestare, quae ab episcopali characterem et ordinis potestate dependent.“

Notandum quoque est, quod de Episcopo auxiliari addit lib. XII. cap. VIII., ubi postquam docuit Episcopum, cui clerici sibi non subditi per dimissorias ordinarii literas ordinandi committuntur, posse, si velit, eorumdem ordinandorum merita prudenter expendere et novo etiam examini eos subjicere; „hoc autem subjungit, locum non habet quoad Episcopum auxiliarem seu suffraganeum, cui ad supplendas Episcopi dioecesani vices assumpto eorum committuntur ordinationes, qui ab ipso dioecesis ordinario praesule examinati et probati fuerunt. Episcopus namque auxiliaris jus non habet novum de illis experimentum capiendi etc.“

His quoque addendum est quod ait eod. lib. XIII. cap. XIV. num. VI. ex decreto Pii IV. Pontificis anno 1565 a Raynaldo relato ad annum ipsum num. 23.: Voluit etiam, ut, si ultra congruum temporis spatium, a Tridentino Concilio praefinitum, a residentiae loco absentiam produxissent, (Episcopi auxiliares), pensionem exigere nequirent; si vero residentiam ipsam penitus derelinquerent, nec ipsa quidem pontificalia in alienis dioecesiis, quamvis in id ordinarii loci licentia et facultas accederet, exercere possent.“ Et decretum consistoriale a S. Pio V. editum, quod commemorat

Fagnanus in cap. episcopalia num. 48. et seq. tit. de privileg. cujus genuitatem defendit idem Bened. XIV. loc. cit. num. VII., in quo haec habentur: „Et quod nullibi possint (Episcopi suffraganei) pontificalia exercere sine expressa licentia Sedis Apostolicae, nisi in illa dioecesi cui dati sint suffraganei.“

Insuper notanda sunt, quae habemus ex S. Congr. Concilii in Vilnen. 22. Febr. 1631. Quod Episcopus suffraganeus datus Episcopo cum facultate exercendi pontificalia officia in civitate et dioecesi de expresso consensu et licentia pro tempore existentis Episcopi non potest eadem pontificalia exercere, ut exercuit, vivente Episcopo, post illius mortem, et in Constantien. 4. Febr. 1645: „Mortuo Episcopo illius suffraganeus ordines conferre non potest.“ Rationem habemus ex Benedicto XIV. loc. cit. n. 13. „eo quod suffraganeus non detur Ecclesiae sed Episcopo, ejusque officium et munus cesset statim ac moritur Episcopus, cui suffraganeus adjunctus fuerat, uti colligitur ex Glossa in cap.: *Quoniam*, verb.: *Vicarium de offic. ord.* Eandem rationem Fagnanus in cap.: *Episcopalia* n. 58. ut sequi de privileg. his verbis: „Episcopus titularis, deputatus in suffraganeum, non datur Ecclesiae sed Episcopo.“ Et paulo post: „Jam, inquit, censuit Sacra Congregatio Concilii suffraganeum non esse titulum perpetuum, et haec ratio concludit eum non esse suffraganeum populi, alias enim esset perpetuus sicut populus. C. proponeretur ff. de judiciis.“

His praemissis de natura et auctoritate seu munere Episcopi suffraganei seu auxiliaris *juxta vigentem consuetudinem* ex doctrina praesertim Benedicti XIV. consequitur Episcopum auxiliarem praeter Dignitatem episco-

palem et potestatem ordinis seu characteris atque habitum jurisdictionis et potestatis in Ecclesiam tituli in partibus infidelium, actu tamen suspensum et impeditum, nullam aliam prorsus jurisdictionem habere nullum, muneri insitum privilegium praeseferre.

Ipse siquidem potest „ea dumtaxat quae sunt ordinis exercere in ea dioecesi, cui datus est auxiliaris: „ordinationes habere, confirmationis sacramentum administrare aliaque episcopalis ordinis munia peragere.“ Limitatur insuper episcopalis ordinis exercitium non modo quia „non potest pontificalia exercere extra dioecesim, cui datus est in auxiliarem, licet accedente consensu Episcopi localis, sine expressa licentia Sedis apostolicae; sed nec in dioecesi ipsa, in qua est auxiliaris, sine licentia et consensu Episcopi ordinaria ita ut, cessante Episcopo, cesset omnino omne exercitium sui muneris et caetera,“ quae supra vidimus.

Haec generatim respiciunt naturam et officium Episcopi auxiliaris, neque dissimili profecto ratione, sed eodem ferme verborum tenore loquuntur litterae apostolicae sub die IV. Cal. Octobris 1855 ubi explicantur munia, quae Ruo D. Carolo ex Com. Caccia Dominioni Episcopo Danaben. in partibus a Pontifice committuntur, nimirum ut venerabili fratri nostro Bartholomaeo Romilli moderno Archiepiscopo Mediolanen. in pontificalibus exercendis aliisque pastoralibus muniis obeundis in dicta Ecclesia et Dioecesi Mediolan. auxilio esse possis, cujus quidem Bartholomaei Archiepiscopi in Episcopum auxiliarem, juxta decretum a nobis approbatum, apostolica auctoritate praedicta deputamus, ita tamen, ut nisi de ipsius Barth. Archiep. licentia et consensu quidquam agere nequeas.“ Et quoniam apostolicae litterae nominare di-